Quaestio Medica Cardinalit. Disp. agit.da In Scho. Med.rum die Jovis. 27a februar. M. Gerardo Denisoto moderatore.

An Vere Mania, Melancholia, et Phrenitis facilius ut fiunt, ita et Curantur?

Ut et Calidum humidum est omnium temperatissimum cum caeteris in nobis humoribus, tum maximè sanguinem sua naturâ congruentem produci, et plurimum inde semen, quod individuorum successionibus ad speciarum aeternitatem ab omnibus partibus post ultimam coctionem refluum; quod tamen ut à contrariis alteratur qualitatibus, ita sua nos afficit intemperie, et humores alios propriis temporibus gaudentes eorum quoque morbis reddit obnoxios, cum in universo corpore tum in singulis membris vel suo ipsorum sensu vel aliorum consensu affectis.

Sic quamvis morbi omnes omnibus temporibus, et quidam in quibusdam magis et fiant et exacerbentur, ver naturâ salubrimum, et minimè mortiferum, mente et corpore suavissimos, et ad usum venereis ac sobolis fructus aptissimos producat: Et tamen non solum profusiones sanguinis et anginas, verum etiam gravedines, raucedines, tusses, et asperitudines Comitiales edere, atque adeo lepras, impetigines, vitiligines, ulcerosas pustulas, tubercula, et arthriticos dolores imo etiam maniaca et melancholica symptomata.

Et autem ferme à dextro cordis fonte cum vita et spiritu naturali sanguificam recipit vim, sic cerebrum à sinistro, coctionis beneficio formae animalem; cuius temperies et modus internos externosque sensus perficit, motumque omnem voluntarium, et rectricis Partis actiones, adeo ut a probonimo judicio ac Memoriâ valeat qui cerebro benè temperatus sit atque conformatus, contra verò quanto magis ab ea absurdius constitutio, tanto graviores curatuque difficiliores inducit affectus vesa-mente gravissimos cum non modo ventres humore impleantur, sed corpus ipsum intemperie alteratum, frigidâ quidem torporem, et atro infectum succo tenebras, metum et tristitiam, humida verò oblivionem, sicca vigilias et calida furores omnia qualitatum, et cognatorum humorum complicatio saeviora infert.

Hinc sanguineis nec abundat spiritus ad ingenii levitatem, nec deest ad tarditatem: iisdem autem morbi rariores et cum risu dementias leviores: pituitosis verò praesertim senibus faciles oblivio, et stoliditas, Biliosis et juvenibus obvenit mania ipsa, tam sine febre, quam phrenitis cum vehementi etiam inflammatione, quam febrina sequitur amentia, caeteris febribus terribilior saeviorque, ut mitior contra Melancholia est.

His in morbis autem ἀποπληξίες stuporis, convulsionis, et caecitatis minantur periculum, quorum dolor impendens mentem aegrotantis indicio est, unde delirium, quod si accidente somno sedatur bonum est, sed melancholicis privatim, ac phreniticis haemorrhoides utiles, superveniens et utilis: Maniacis et varices, imo etiam et dysenteria hydrops et ecstasis. In quibus oportet salutis artificem non tantum aemulum naturae ut Melancholicos purgare per inferiora plerumque, et graciles faciles vomentes per superiora, sed et magistrum esse ut clysmis, ulceribus, scarificatis, hirudinibus, et vesicatoriis malo agentem erroree in caeteris quidem temporibus, sed eo praecipuè cum hyems intus condita naturae virtus benigno solis tepore expanditur.

Ergo Verè Maniae, Melancholia, et Phrenitis facilius ut fiunt, ita et curantur.

Proponebat Lutetiae M. Nicolaus Jabot Remus A.R.S.H. M.D.LXXXVI.

BIBLIOTH